



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 37 [i. e. 36]. Cur Numeratio inventa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

CAPUT XXXVI.

Cur numerosa oratio inventa?

Habent enim aures inditum quoddam
 natura ipsa iudicium, ut de quantitate toni, &
 soni in verbis & cantu Musico discernant,
 quid aptè, quid ineptè consarcinatum sit, Ita-
 que dissona sentit, mutila notat, sibi que des-
 esse aliquid ad plenam aut aptam clausulam
 advertit. Si verò quid concinnè depromp-
 tum esse, aut rectè, aptè que ceclidisse inaudit,
 recreatur & approbat. Me stante, verba sunt
 Tullii l. cit. Cajus Carbo Tribunus plebis
 in Concione dixit his verbis à Marce Dru-
 se, Patrem appello, tu dicere solebas, sa-
 cram esse Rempub. quicumque eam viola-
 vissent, ab omnibus esse eis pœnas perso-
 lutas. Deinde Patris dictum sapiens, te-
 meritas filii comprobavit. Hoc dichoræo
 (comprobavit) tantus clamor Concionis
 (licet imperitæ) excitatus est, ut admirabile
 esset. Quæro, inquit Cicero, nonne id
 numerus effecerit? verborum ordinem mu-
 ta, fac sic, comprobavit filii temeritas, jam
 nihil erit, etsi temeritas totidem habeat syl-
 labas, animo istuc satis est (quocunque loco
 verba ponantur) auribus non est satis, ita Ci-
 cero, quem aliis exemplis ostendisse,
 quanti momenti sit aptè dicere, invenies
 in Cypriano cap. 50. itaque ut Poëtæ, quò
 pla-

placere autibus, certâ pedum dimensione
 constrinxerunt orationem, sic & Oratores,
 multò tamen seriùs, neque ita certis ac deter-
 minatis pedibus, ne affectatio fastidium pa-
 reret, & delectationis aucupium tolleret si-
 dem, & affectum, prout dictum est; sed &
 de pedibus dicetur postea, ubi primùm de
 incisis, membris, & periodis explanatum fu-
 erit.

CAPUT XXXVII.

De incisis membris & periodis.

Doctrinam atque praxim de incisis, mem-
 bris, & periodis, tam utilem Tironi elo-
 quentiæ censuit P. Sigis. Lauxmin. in sua
 praxi Oratoria, ut in hac primùm exercen-
 dum Tyronem existimârit, ac basim funda-
 mentumque eloquentiæ in ea collocârit,
 sed bonâ tanti viri veniâ, ego in tropis, & fi-
 guris priùs exercendum putarem, ut aliquam
 quamcumque propositionem dilatandi pri-
 ùs habeat facilitatem; qui enim sermonem in
 membra secabit, in periodos quadrabit, si ex-
 tendere eundem nesciat, formam scilicet vo-
 let inducere, cum materiam non habeat: & e-
 rit ea deductio destituta ornatu, vitâ & vigo-
 re, si tropis, & figuris destituatur, quarum
 ulum saponitur non habere. Utiliùs igitur
 operam in troporum, & figurarum

ex-